



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Scriptoribus Ecclesiasticis Liber Vnus

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Coloniae Agrippinae, 1645

Seculum Quartum ab Anno 300. ad 400.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64672)

Et quidem opera omnia, exceptis carminibus, sine cō-
trouersia Lactantii sunt: & quemadmodum ad eloquen-
tiam Tullianam proxime accedunt, ita erroribus variis
sic deformata sunt, vt non sine causa Gelasius Papa in Cō-
cilio Romano apocrypha censi voluerit.

Carmen de Phænice Echnici hominis esse videtur.

Carmen de resurrectione, & de Paschate, vt etiam de
Passione, ambiguum est, an Lactantii sint, quia nonnulli
negant illius esse: & tamen non habemus certum argu-
mentum, vnde probetur illius non esse.

Seculum Quartum ab Anno 300. ad 400.

De Constantino Magno Imperatore. 306.

Constantinus sanctæ Helenæ filius, Imperat. maxi-
mus, & felicissimus, quamuis occupatissimus in Im-
perio Orbis terræ gubernando, quod suscepit anno Do-
mini 306. & tenuit vsque ad 337. scripsit tamen multas
latinas orationes, earumque magnam partem recitauit,
Eusebio teste lib. 4. de vita Constantini cap. 29. Vna tan-
tum nunc superest, scripta ad sanctorum cōtum: cuius
meminit idem Eusebius lib. 4. cap. 32. de vita Constanti-
ni, atq; eadem excuti solet post ipsos libros de vita Con-
stantini. Oratio sane pulchra, & luculenta de Christi ad-
uentu, & diuinitate; vbi etiam cap. 18. inseruntur carmina
Sibyllæ Erithrææ, quarum literæ capitales reddunt hanc
sententiam, IESVS Christus, Dei filius, seruator,
Cruz. Scripsit etiam idem Imperator epistolas multas,
quarum aliquæ extant tum in histor. Eusebii, tum in li-
bris de vita Constantini. Sed epistolæ possent forrasse tri-
bui Secretariis, sed orationes ipsius Constantini pro-
prio labore, & studio scribeban-
tur, vt diximus.



De Eusebio Casariensi. 326.

Eusebius Pamphili Episcopus Casariensis, tempore Constantini Magni floruit, scripsit plurima, ex quibus hæc nunc extant.

De Evangelica præparatione lib.	14
De Evangelica demonstratione,	10
De Historia Ecclesiastica,	10
De vita Constantini,	4
Aduersus Hæresim Hieroclis,	1
De Philosophorum dissensione,	1
Chronicum interprete sancto Hieronymo.	

Ex his, libri de præparatione, & demonstratione Evangelica, imperfecti sunt. Scripsit enim Eusebius, teste sancto Hieronymo de Script. Eccles. De præparatione lib. 1. De demonstratione lib. 20. Nunc autem illi sunt 14. isti sunt 10. Historiam Eusebii Ecclesiasticam Ruffinus vertens libros nouem confecit, quibus duos ipse addidit. Sed Ioannes Chrystophorus in sua interpretatione libros decem esse ostendit, quot etiam sanctus Hieronymus numerauit. Ceterum Ruffinus non ad verbum vertit, sed aliqua addidit, aliqua detraxit. Hæc historiam Gelasius inter apocryphos libros retulit, fortasse ob nimias laudes Origenis.

Scripsit præterea Eusebius sub nomine S. Pamphili martyris Apologiam pro Origene: quamuis enim sanctus Hieronymus in libro de Scri. Eccles. in Pamphilo testatus sit, à sancto Pamphilo scriptam fuisse Apologiam pro Origene: tamen idem sanctus Hieronymus lib. 2. in Ruffinum, se postea comperisse dicit, Apologiam illam esse partem Apologiæ Eusebii pro eodem Origene, cui Ruffinus mutauerat titulum, & hoc ipsum probat testimonio Eusebii, qui sanctum Pamphilum nihil scripsisse asseruit præter epistolas aliquot.

Porro Eusebium hunc Casariensem Arianum hæreticum fuisse testatur sanctus Athanasius in libro de Decretis Nicenæ Synodi: testatur sanctus Hieronymus in utroque libro aduersus Ruffinum, vbi Eusebium hunc non solum

hære-

hæreticum Arianum, sed nunc signiferum, nunc Principem Arianorum vocat: restatur septima Synodus Act. 5. ubi primum Legati Apostolici, deinde tota Synodus reiciunt auctoritatem Eusebii Pamphili, tamquam hæretici Ariani. Quare mirum est, cur aliqui moderni Eusebium hunc tanto ardore defendere velint.

De Iuueno Poeta Christiano. 330.

Iuuenus presbyter scripsit Constantino imperante libros quatuor carminum, quibus Euangelicam historiam complexus est. Laudat hoc opus sanctus Hieronymus tum in libro de Script. Eccles. tum in epistola ad Magnum, tum etiam in Commentario ad ca. 7. Matthæi. Extant hi libri in 8. tomo Bibliothecæ Sanctorum Patrum editionis secundæ.

De sancto Antonio Abbate. 330.

Sanctus Antonius Abbas eodem Imperatore Constantino floruit, scripsitque epistolas septem lingua Ægyptiaca, sed sensu & spiritu Apostolico, ut S. Hieronymus restatur in libr. de Scriptor. Eccles. Extant epistolæ S. Antonii in Bibliotheca sanctorum Patrum. Addit Io. Trithemius in libro suo de Script. Eccles. scriptos fuisse ab eodem magno Antonio duos libros sermonum, qui pariter nunc extant in Bibliotheca sanctorum Patrum. Sed mirum est Trithemiū non aduertisse, in sermonibus illis citari. Basilium, Gregorium Nyssenum, Io. Chrysostomum, Nilum, Photium, & alios, qui multis annorum centuriis posteriores fuerunt S. Antonio Abbate, de quo nos loquimur.

De S. Pachomio. 340.

Sanctus Pachomius ex milite gentili Monachus probatissimus effectus, S. Antonii æqualis, & forte discipulus, scripsit regulam Monachorum, Angelo dictante, quæ extat inter opera Ioannis Cassiani, Romæ excusa.

De sancto Oresiesi. 340.

Oresiesis Monachus æqualis sancti Pachomii scripsit (Gennadio teste in libro de viris illustribus) librum diuino sale conditum de Instructione vitæ Monasticæ: hic liber exstat in Bibliotheca SS. Patrum editionis secundæ, tomo quarto.

De sancto Macario Seniore. 340.

Sanctus Macarius Senior sancti Antonii discipulus, & sancti Pachomii, atque Oresiesis æqualis, scripsit homilias quinquaginta ad Monachos, quæ exstant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo secundo editionis secundæ.

De sancto Athanasio. 340.

Sanctus Athanasius Episcopus Alexandrinus, sub eodem Constantino florere cœpit, & sub Valente Imperatore migravit ad Dominum, teste sancto Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis. Opera sancti Athanasii quatuor tomis continentur, nec tamen sunt omnia: meminit enim sanctus Hieronymus duorum librorum contra gentes, & libri vnus contra Valentem & Ursacium, & alterius de Psalmorum titulis, & etiam de vita sancti Antonii, qui tamen libri in his quatuor tomis desiderari videntur, nisi forte mutata sint nomina, vt mox dicemus.

Tomi Primi.

Oratio contra Idola.

De Incarnatione Verbi eiusque ad nos aduentu.

Ad Epictetum Episcopum Corinthiorum epistola.

Expositio fidei.

Liberi Epicopi Romani ad Athanasium epistola.

Athanasii Responsio.

Ad Antiochenses epistola.

De æterna substantia Filii, & Spiritus sancti cum Deo.

Ora-

Oratio quod Christus sit vnus.

Ad adelpium fratrem contra Arianos.

Orationes quatuor contra Arianos.

In hoc dictum, ex Deo Deus est Verbum.

In hoc dictum, Omnia mihi tradita sunt, &c.

Compendium e superioribus contra eos, qui dicunt Spiritum sanctum esse creaturam.

Observatio in libros Primi Tomi.

ORatio contra Idola, & liber de Incarnatione Verbi, videntur esse duo libri contra gentes, quorum sanctus Hieronymus meminit. Nam initio libri de Incarnatione Athanasius dicit, se hactenus disputasse contra Idola, nunc sequi, vt disputet de Incarnatione Verbi, vt plane appareat duo illa opera esse coniuncta, & vnum esse partem alterius. Vtrumque autem est contra gentes, & refertur testimoniis gentilium. Quare mirum est, cur vnum dicatur oratio, & alterum dicatur liber, cum vtrumque sit disputatio contra Idola, & pro Christo aduersus gentes.

In eodem primo tomo est quædam expositio fidei, de qua num sit Athanasii ambigo, tū quia diuersa est à Symbolo Athanasii, nec scio cur duas expositiones fecerit; tū maxime, quia hæc videtur illi contraria: in hac enim dicitur, tres personas diuinas non esse tres substantias, seorsim distinctas: in illo autem Symbolo dicitur, alia est persona Patris, alia Filii alia Spiritus sancti, & Græce, alia hypóstasis, id est, substantia: testatur enim S. Gregorius Nazianzenus, Oratione in Athanasium extrema, ab Athanasio fuisse declaratum intelligi à Latinis per nomen personæ, quod à Græcis per nomen hypóstasis, & Græcos dicere tres hypóstases, Latinos tres personas.

In eodem tomo habetur epistola Liberii Papæ ad Athanasium, & responsio Athanasii ad Liberium: sed neutra videtur cōuenire auctori, cui tribuitur. Liberius enim ita scribit ad Athanasium, ac si dubitet de eius fide: & iubet illum anathema dicere Sabellio, & Ario: deinde addit rationem, Vt ego securior efficiar, tuaque mandata in

hæſitantẽr obeam. At neque credibile eſt, Liberium vnquam dubitaſſe de fide S. Athanaſii: neque etiam ita ſe illi ſubieciffe, vt mandata eius obiturum ſe polliceretur. Adde, quod epiſtola, quę tribuitur Liberio incipit per, Ergo, ſine interrogandi nota, vt conſuſio potius epiſtolę, quam epiſtola eſſe videatur.

Reſponſio quoque Athanaſii non habet formam epiſtolę, ſed ſimplicis confeſſionis fidei, neque confeſſio cõcepta eſt verbis ſatis propriis, præſertim vbi dicit, Illa caro ſuſpenſa eſt in Cruce, non ipſe: in illa omnes humanas paſſiones, vt homo ſuſtinuit, non ipſe. At negari non debet, ipſum Chriſtum ſiue etiam ipſum Deum Crucifixum in carne: ſic enim loquitur S. Petrus, Chriſto igitur in carne paſſo, & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, & S. Paulus, Humiliauit ſemeripſum factus obediens vſque ad mortem, & Nunquam Dominum glorię crucifixiſſent. Sanctus vero Athanaſius maxime proprie, & caſtigatę deieuiſmodi myſteriis loqui ſolet. Proinde non videtur eiufmodi ſcriptio S. Athanaſio tribuenda.

Tomũ Secundi.

Apologia ad Conſtantium.

Apologia de fuga ſua.

Epiſtola ad omnes Orthodoxos.

De ſententia Dionyſii Alexandrini.

De decretis Nicęnæ Synodi contra Eusebium.

Apologia contra Arianos ſecunda.

Ad Serapionem epiſtola.

Ad ſolitariam vitam agentes epiſtola.

Ad Iouianum Imp. epiſtola.

De Synodis Arimini, & Seleucię.

Ad Dracontium Episcopatum fugientem epiſtola.

Ad Episcopos Africę epiſt.

Obſeruatione in Tomum Secundum.

IN hoc ſecundo tomo nihil eſt, de quo aut ego ambigã, aut alios ambigere ſciam. Illud vnum admonendum duxi, quod S. Hieronymus in libro de Script. Eccleſ. ſcribit,

ex.

extare etiam librum Athanasii contra Valentem & Ursacium, recte accipi posse de libro inscripto, de Synodis Arimini, & Seleucia: in illis enim contra Valentem & Ursacium proprie scribitur.

Sunt etiam in hoc tomo duæ breues epistolæ post epistolam ad Iouianum Imperatorem, quæ nescio cur in indice sint prætermissæ.

Tomii Tertii.

De Incarnatione Verbi.

De natura humana suscepta.

De Incarnatione Christi.

De salutari aduentu Christi contra Apollinarem.

Contra omnes hæreses sermo.

Ad Maximum Philosophum Oratio.

In illud, Profecti in pagum, inuenientis pullum.

In passionem Saluatoris.

Ad Marcellinum de interpretatione Psalmorum.

De Virginitate, siue de meditatione.

Testimonia de scriptura de naturali communione similis essentia trium personarum.

Ad omnes vbique per Ægyptum, & Syriam, &c.

Refutatio contra hypocritam Meletium.

De sanctissima Deipara Maria.

In passionem & crucem Domini.

Ad Serapionem Episcopum Thmuceos epistola.

In illud, Quicumque dixerit verbum, &c.

Disputatio in Nicæno Concilio contra Arium.

Homilia de semente.

Declaratio Leuitici de diuersa eiusdem rei nomenclatura.

Obseruatio in Tomum Tertium.

Liber qui hic dicitur, de interpretatione Psalmorum, videtur esse ille, quem S. Hieronymus vocat de titulis Psalmorum, in libro de Scriptor. Eccles. in Athanasio: nam Cassiodorus quoque hunc eundem librum vocat, de

de titulis Psalmorum, id est, de varia excellentia Psalmorum.

Sermone sanctissima Deipara, non videtur esse S. Athanasii, sed alicuius posterioris, qui post Concilium tertium, & quartum, imo etiam sextum floruerit: ita enim accurate disputat de unione diuinæ & humanæ naturæ in vna hypostasi; nec non de appellatione Deiparæ, quod Virgini ea appellatio iure conueniat, & denique de duabus voluntatibus, & operationibus vnius volentis, & operantis Christi, ut dubitari non possit, quin iste auctor viderit decreta Conciliorum contra Nestorium, Eutychetem, & Monothelitas. At (ut recte ratiocinatur Cardin. Baronius to. 1. Annalium ad annum Christi 48.) si hic sermo esset Athanasii sine dubio citatus fuisset à S. Cyrillo, & à Patribus tertiæ, quartæ, & sextæ Synodi ad cõuincendos hæreticos. Videmus autem non citari vnquam hunc sermonem, sed libros de Incarnatione, vbi non tam aperte Athanasius loquitur. Adde, quod in hoc sermone autor dicit, attributa Dei non esse ipsam substantiam Dei, sed circa substantiam versari: quod valde improprie dictum est, & alienum à consuetudine S. Athanasii, qui valde considerate loqui solet. Adde vltimo, quod in explanatione vocabuli *ἰσότης* dicit vocem *ἰσὸς* significare æqualitatem: at Græcis *ἰσότης* est æqualitas, non *ἰσία*, & tota illa deductio vocis *ἰσότης* à voce *ἰσός* est leuior, quam ut Athanasium decere videatur.

Disputatio Athanasii cum Ario, quæ in hoc to. habetur, non est habita in Concilio Nicæno, ut inscriptio indicare videtur; sed est habita in Monasterio aliquo, ut ex initio disputationis intelligi potest: neque est habita proprie cum ipso Ario, sed cum aliquo eius discipulo, ut perspicuum est ex illius verbis, Derepente ex radice Christo inimici Arii bellua sub humana specie ad nos insiluit. Neque obstat, quod postea, qui disputat, dicatur Arius: ponitur enim Arius, pro, Arianus: quo modo in eadem disputatione, non semel ponitur nomē Sabellii, pro nomine Sabelliani. Vtrum hæc fuerit vera disputatione, an dialogus conscriptus in personam Athanasii, & alicuius

Aria

Ariani: & utrum sit ab Athanasio, an ab alio scriptus, non facile iudicari potest.

Tomus Quartus.

Quæstiones ad Antiochum Principem.
De definitionibus Theologicis.
Disputatio cum Ario Laodicæ habitata.
Exhortatio ad Monachos.
De Passione imaginis Domini.
Ad Marcum Papam epistola.
Marci Papæ Responso.
Ad Serapionem de sancto Spiritu, epistola.
De unitate Deitatis Trinitatis, libri septem.
Synopsis totius Scripturæ.

Observatio in Tomum Quartum.

IN hoc tomo nihil fere est, quod vere sit Athanasii.

Quæstiones ad Antiochum, Athanasii esse non possunt, nam quæst. 27. citat auctor magnum Athanasium, & ab eo dissentit. Quæst. 108. dicit, Romanos esse Francorum genus: ex quo apparet, auctorem esse recentem. Franci enim dicuntur omnes occidentales in Regnis Turcarum. Qu. 129. citatur S. Gregorius Theologus, qui tamen posterior est Athanasio. Multo minus Athanasii sunt quæstiones quadraginta sex, quæ in aliis codicibus inveniuntur: nam in iis citantur ut antiqui Patres, Epiphanius, Gregorius Nyssenus, & alii.

Liber de definitionibus Theologicis non videtur esse S. Athanasii, quia in cap. de actu, citat ad confirmandam suam sententiam S. Gregorium Nyssenum, his verbis, actus, quemadmodum S. Gregorius Nyssenus inquit, est naturalis cuiusque rei &c. At credibile est Gregorium Nyssenum nondum scribere cœpisse, quando Athanasius obiit. obiit enim Athanasius sub Valente: Gregorius autem sub Theodosio scribere cœpit, ut probabiliter colligitur ex li. S. Hieronymi de Scri. Eccl. Scripsit enim eum librum S. Hieronymus anno 15. Theodosii, ut ipsemet testatur

stat in extremo libro: & in eodem libro dicit, à Gregorio Nysseno lectum sibi fuisse librum quendam à se compositum, ante paucos annos. Adde, quod in hoc libro de definitionibus, tam distincte loquitur auctor de duabus naturis Christi in vna hypostasi, vt omnino scripsisse videatur post Concilium Chalcedonense.

Disputatio cum Ario Laodicæ habitata non potest esse Athanasii vera disputatio: dicitur enim habitata anno secundo Constantii, & tamè introducitur Athanasius diaconus disputans cum Ario presbytero: at ex historicis constat, Athanasium factum esse Episcopum Alexandrinum anno 21. Constantini Magni. Præterea Arius obiit morte turpissima anno 31. Constantini, omnium consensu: quomodo ergo disputaturus adducitur anno secundo Constantii? Denique in hac disputatione mentio fit Photini hæretici, quali ab ipso Ario hæreses didicisset: at Photinus posterior Ario fuit, vt ex S. Hieronymo colligitur libro de Scriptor. Eccles. Denique videtur omnino hæc disputatio, dialogus ille esse, quem à se scriptum fuisse Vigilii Episcopus testatur lib. 5. contra Eutychem.

Liber de Passione imaginis Domini, citatur in secunda Nicæna Synodo, act. 4. vbi totus hic liber legitur & recipitur sub nomine sancti Athanasii, sed non videtur esse sancti Athanasii huius, de quo nunc agimus, sed alterius multo recentioris. Scribit enim Sigebertus in Chronico, accidisse hoc miraculum anno Domini 766. eo tempore videlicet, quo quæstio agerabatur de cultu sacrarum imaginum: voluit enim hoc tam insigni miraculo Deus confundere hæreticos Iconoclastas. Illud autem obseruandum est, illa vltima verba capit. 7. Hæc est vera, & vehementer credula ratio de cruore lateris Domini nostri Saluatoris, qui profluxit de sancta imagine eius, quæ crucifixa est in Syria in Beryto ciuitate: hic est sanguis ille Dominicus, qui apud plerosque repertus esse dicitur, nec aliter æstimandum est à vere Catholicis, præter id quod scribitur à nobis, quasi ex carne, & sanguine Christi aliquid possit in mundo inueniri, nisi illud, quod in ara altaris per manus Sacerdotum quotidie spiri-

rimum

ritualiter efficitur, &c. Ista, inquam, vltima verba non haberi in codice græco Concilii Nicæni secundi, neque in versione Anastasii Bibliothecarii; sed esse addita ab aliquo, post disputationem habitam de sanguine Christi coram Pio secundo Pontifice Maximo: quod etiam apparet ex varietate styli istius conclusionis à reliqua narratione. Quod autem auctor huius additionis dicit, à veris Catholicis non debere credi esse alium sanguinem Domini super terram, nisi illum, qui consecratur in altari; repugnat traditioni Ecclesiæ Mantuanæ, quæ gloriatur habere se, de sanguine illo, qui de latere Domini fluxit; eumque verum esse Domini sanguinem, declaratum fuisse à Leone tertio Pontifice ante annos octingentos. Scribunt enim historici plurimi, vt annales antiqui Francorum, Ado Viennensis, Aimoinus, Regino, Abbas Vispergensis, & alii, Leonem Pontificem, Carolo Magno id petente, contulisse se Mantuam, vt de veritate sanguinis Domini miraculis multis ibi coruscante, iudicaret: atque inde in Franciam ad Carolum perrexisset. Et quamuis historici non explicent qualis fuerit sententia Pontificis: tamen Cardinalis Baronius, tomo nono Annalium, ad annum Domini 804. scribit, Romæ extare diplomata Pontificia, in quibus veritas illius sanguinis declaratur. Et certe si Pontifex illo tempore secus censuisset, tam diu sanguis ille conseruatus non fuisset. Scribit etiam Matthæus Parisiensis in Henrico tertio Angliæ Rege, pag. 713. in meo codice, missum fuisse à Patriarcha Hierosolymitano vasculum cum vero sanguine Christi ad eundem Regem, & susceptum cum incredibili œlebritate, Episcopis prædicantibus, & rationem reddentibus de veritate illius sanguinis.

De Epistolis Athanasii ad Marcum Papam, & Marci Papæ ad Athanasium; constat ex ratione temporis, eas epistolas esse supposititias, vt dicemus infra, in obseruatione ad Gratianum.

Libri septem de vnita Deitate Trinitatis, non mihi videntur Athanasii; quia Latine scripti videntur, non ex

Grc.

Græco versi, ut patet, tum ex stylo, tum quia aliquoties auctor significat, quo modo dicantur apud Græcos quæ ipse Latine scripsit, ut libro sexto Maledictus, inquit, qui hanc Dei natiuitatem ex nullis extantibus phantasma esse confiteretur, quod Græci ἐξ ἑν ὄντων appellant, & libro 7. in ultimis verbis. Ac per hoc, inquit, vnita est Patris, & Filii, & Spiritus sancti substantia, quam Græci dicunt ὁμοούσιον. Deinde refellit hic auctor nominatim Urbicum Potentinum, qui Eunomii discipulus fuit. Non videtur autem credibile Athanasium potuisse confutare discipulum Eunomii, cum ipsum Eunomium, non Athanasius, sed Basilius, qui Athanasio iunior erat, primus confutauerit.

Præter libros, qui in his quatuor tomis continentur, extat seorsim vita sancti Antonii, & Symbolum, quod incipit, Quicumque vult saluus esse; quæ sancti Athanasii opera esse vera, & germana non dubitamus. Quod enim sanctus Athanasius scripserit vitam sancti Antonii testatur sanctus Hieronymus in libro de Scriptor. Eccles. in Antonio, in Euagrio, & in Athanasio: testatur etiam sanctus Gregorius Nazianzenus oratione in Athanasium, & sanctus Augustinus, libro 8. confess. capite 6. Quod autem ea, quæ nunc extat, sit illa ipsa, cuius meminit sanctus Hieronymus, & sanctus Augustinus, perspicuum est ex eo quod est re vera insigne volumen, ut eam vocat sanctus Hieronymus, & continet magna illa miracula, quorum meminit sanctus Augustinus, & habet reuelationem illam de anima Ammonis, quam ex vita à sancto Athanasio scripta referunt Palladius in historia Lausiaca cap. 8. & Socrates in histori. libro 4. cap. 18. Neque potest contra obiici, nisi quod in hac vita non fiat mentio Pauli primi Eremitæ, & aliarum rerum, quæ narrantur à sancto Hieronymo in vita sancti Pauli primi Eremitæ. Sed responderi potest, Athanasium non omnia, quæ ad vitam sancti Antonii pertinebant, assecutum fuisse, vel non omnia, quæ acceperat in mentem venisse illi, cum scriberet; vel etiam noluisse omnia scribendo nimis longam orationem suam facere: alioqui

si ob-

si obiectio illa vim ullam haberet, possemus de Scriptori-
bus Euangeliorum etiam dubitare; multa enim Matthæ-
us & Marcus omiserunt in vita & rebus gestis Christi re-
ferendis, quæ Lucas non omisit: multa quoque omisit
Lucas, quæ Matthæus & Marcus non omiserunt: multa
denique & grauissima Ioannes scripsit, quæ tres Euange-
listæ prætermiserunt.

De Symbolo Athanasii Ecclesia ipsa Catholica testi-
monium perhibet, dum illud sub nomine sancti Athana-
sii in diuinis officiis recitandum proponit, neque id facit
sine veterum Patrum testimonio, Sanctus enim Augusti-
nus tractatu in Psal. 126. sic loquitur explicans illud, Per
diem sol non vtet te. De hoc sole Pater Athanasius Ale-
xandrinus Episcopus ita pulchre locutus est, Filius, in-
quit, Dei à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed ge-
nitus.

Tribuuntur S. Athanasio à nonnullis commentaria
in omnes epistolas sancti Pauli. Sed ea Theophylacti sunt
non Athanasii.

De Serapione.

Serapion Episcopus Thmucos à sancto Athanasio or-
dinatus. Vir fuit sancto Antonio carus vt scribit san-
ctus Hieronymus in libro de Script. Eccles. scripsit librum
contra Manichæos; qui extat apud Henricum Canisium
tomo 5. antiquæ lectionis: scripsit de Psalmorum titulis
& epistolas ad diuersos teste S. Hieronymo in libr. de
scriptor. Eccles. Sed non videntur extare.

De Iulio Materno Firmico. 340.

Iulius Maternus Firmicus floruit tempore filiorum C6-
stantini Magni, ad quos scripsit egregium librum de
mysteriis, & erroribus profanarum religionum.

Extat hic liber in Bibliotheca sancto-
rum Patrum tomo
quarto.

Lucifer Episcopus Calaritanus Athanasii æqualis, ita zelo fidei catholicæ ardens fuit, ut à Sanctis Patribus etiam post schisma factum, & sectam Luciferianam post se relictam, non nisi timide, & dubitanter arguatur, Sanctus Ambrosius in Oratione de obitu Satyri, Lucifer, inquit, se à nostra tunc temporis communione seiunxerat, quamquam pro fide exulauit, & fidei suæ reliquit hæredes. Sanctus Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos prope finem, Ventum est, inquit, ad asperissimum locum in quo aduersum voluntatem, & propositum meum cogor de beato Lucifero secus quicquam, quam & illius meritum; & mea humanitas possit æstimare, &c.

Sulpitius libro 2. sacræ historiæ, Cæterum, inquit, Luciferum Antiochiæ longe diuersa sententia fuit: nam in tantum eos qui Ariminifuerant, condemnauit, ut se etiam ab eorum communione secreuerit, qui eos sub satisfactione, vel pœnitentia recepissent. Id recte an peperam constituerit, dicere non ausim. Sanctus tamen Augustinus liberius schisma Luciferi condemnat, tum in libro de de hæresibus, tum in libro de agone Christi cap. 30.

Vide de Luciferi rebus gestis historicos, Ruffinum l. 1. cap. 30. Sulpitium lib. 2. sacræ hist. Socratem lib. 3. cap. 7. Theodoretum lib. 3. cap. 14. Sozomenum lib. 3. cap. 14. Nicephorum lib. 10. cap. 17. Histor. ritapat. lib. 6. cap. 23.

Libri Luciferi qui extant hi sunt:

Ad Constantium Imperatorem lib. 2

De Regibus Apostaticis, 1

De non conueniendo cum hæreticis, 1

De non parcendo delinquentibus in Deum, 1

Quod moriendum sit pro filio Dei, 1

Epistola ad Florentium, 1

His additæ sunt Epistola Florentii ad Luciferum.

Item epistolæ duæ sancti Athanasii ad eundem Luciferum.

Item epistola Liberii Papæ ad Constantium Imp.

Itcm

Item epistola Athanasii ad seruos Dei.

De quibus libris, vel epistolis nulla dubitatio mihi esse videtur, quin sint eorum auctorum quorum nomina præferunt.

Impressi sunt hi libri Parisiis anno 1568. opera Ioan. Tili Episcopi Meldensis.

De Victorino Afro. 350.

CMarius Victorinus Afer floruit tempore Constantij Imperatoris, anno quadragesimo, vt ipse testatur, post Concilium Nicænum. In senectute conuersus ad fidem est teste sancto Augustino libro 8. confess. cap. 2. & post conuersionem relictis libris gentilium scripsit, teste sancto Hieronymo in libro de Scriptoribus Eccles. contra Arianos, & in epistolas beati Pauli de quo Commentario in epistolas idem Hieronymus scribit in proæmio epistolæ ad Galatas, non esse admodum probandum. Extant nunc in tomo quarto vel octauo Bibliothecæ Sanctorum Patrum libro 4. de Trinitate, Hymni tres, & Carmen Heroicum de Machabæis, quæ omnia caute legenda sunt, cum auctor magis arti Rhetoricæ, quam Theologiæ, & Sacris literis operam dederit.

De sancto Hilario. 355.

Sanctus Hilarius Pictauorum Episcopus sancti Athanasii æqualis fuit, & quamuis iam prouectæ ætatis Christianus factus, tamen breui in Ecclesiastica doctrina ita profecit, vt Doctor maximus, & Ecclesiæ Catholicæ columna merito habitus sit. Eius opera hæc extant:

De Trinitate libri, 12

Aduersus Constantium Augustum, 1

Ad eundem, 1

Ad eundem alter. 1

Aduersus Auxentium Arianum. 1

De Synodis aduersus Arianos. 1

Ad Apram filiam epistola.

F 2

Ad e-

Ad eandem Hymnus.

In Matthæum Commentaria.

In psalmos aliquot explanatio.

De Patris & Filii vnitate,

De essentia Patris, & Filii,

Ad Augustinum epistolæ,

Carmen in Genesim.

Et quidem de libris de Trinitate, De duobus libris aduersus Constantium, De libro contra Auxentium, De libro de Synodis, De Commentariis in Matthæum, & in psalmos nulla dubitatio est, horum enim & meminit sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. & nemo illis contradixit vnquam.

De Epistola; & Hymno ad Apram filiam Erasmus non solum dubitauit, sed etiam scripsit notha esse. Cæterum Fortunatus sancti Hilarii successor in vita ipsius disertis verbis scripsit, dedisse sanctum Hilarium epistolam ad Apram filiam, & totum argumentum epistolæ descripsit, vt non sit dubium hanc ipsam, quæ extat epistola, vere S. Hilarii esse, vt etiam hymnum adiunctum.

De epistol. ad Augustinum extra cotrouersiam est, eas non esse Hilarii Pictauiensis, sed Hilarii alterius multo recentioris: nam & Pelagiani, de quibus in illis epistolis agitur: post Hilarii obitum exorti sunt, & ipse Augustinus, ad quem scribuntur, post Hilarii excessum Christianus factus est.

Pari ratione carmen in Genesim Hilarii esse non potest, cum ad Leonem Papam scriptum sit, sed etsi hoc carmen non sit Hilarii: tamen constat ex Concilio Tolerano 4. can. 12. hymnos aliquot sancti Hilarii cani in officio Ecclesiastico.

De libris duobus de Patris, & Filii vnitate & de essentia Patris, & Filii, non omnino certus sum, Hilarii ne, an alicuius alterius sint: nam sanctus Hieronymus horum librorum non meminit, & in posteriore inuenitur fragmentum valde magnum ex lib. 8. de Trinitate: quæ sunt argumenta, quod libri isti non sint Hilarii, sed alterius, qui Hilarium imitari voluerit. Libri certe graues sunt

sunt, & docti, & Hilari spiritu, & eloquentia non indig-
ni.

Vna superest quæstio, An liber primus aduersus Con-
stantium Imperat. sit scriptus ipso Constantio viuento, an
post eius mortem. Sanctus Hieronymus in lib. de Script.
Eccles. dicit vnum librum scriptum esse Constantio vi-
uente, alterum post eius obitum: & nisi is, qui primus
nunc extat, sit scriptus Constantio mortuo, nullus erit il-
lo mortuo scriptus: nam alii duo citra controuersiam scri-
pti sunt viuento Constantio. Erasmus hoc argumento
ductus, primum librum existimat scriptum esse post obi-
tum Constantii. Cardinalis Baronius tomo tertio Anna-
lium pagina 714. & 715. contendit omnes tres libros scri-
ptos esse viuo adhuc Imperatore Constantio, & librum,
quem sanctus Hieronymus testatur post obitum Con-
stantii scriptum, non extare, & rationem adducit, quia
sanctus Hilarius in hoc libro scribit, se per hanc liberri-
mam confessionem tendere ad martyrium, & animat ali-
os ad martyrium per eandem libertatem loquendi, Pona-
mus inquit, animas pro ouibus, quia fures introierunt
& Leo sæuiens circumit. Ad martyrium per has voces ex-
eamus, quia Angelus Satanæ transfigurauit se in Ange-
lum lucis. Clament pastores, quia mercenarii fugerunt.
At si iam persecutor erat mortuus, ridicula videtur Hila-
rii iactantia. Deinde scribit, se ita loqui cum Constantio
vt Ioannes Baptista loquebatur cum Herode: at Ioannes
Baptista Herodi viuenti non mortuo dicebat, Non licet
tibi habere vxorem fratris tui. Præterea ipse Hilarius de-
scribit tempus, quo hunc librum scripsit, & dicit, ante an-
nos quinque missos fuisse in exilium Paulinum, Eusebi-
um, Luciferum, Dionysium: at illi in exilium pulsi sunt
anno 19. Constantii, tempore Concilii Mediolanensis:
ergo scripsit Hilarius librum illum anno Constantii 24.
quo anno Constantius viuebat. Obiit enim ad initium
anni 25. Sed fortasse possunt hæ sententiæ conciliari, si
dicamus, Hilarium scripsisse librum illum ex Gallia, cum
putaret, Constantium adhuc viuere, sed vere mortuus
esset: constat enim ex Sulpitio, in secundo de sacra hi-

storia, & ex sancto Hieronymo in chronico, & ex ipso Cardinal. Baronio, sanctum Hilarium rediisse in Galliam paulo antequam Constantius moreretur: & quia res in tam remota regione gestæ continuo resciri non possunt, facile concurrere potuit finis scriptiois Hilarii, cum fine vitæ Constantii. Itaque immerito Erasmus in annotationibus marginalibus irridet Hilarium, quasi Constantio minetur audacter, sed post mortem eius.

*De Gregorio Betico, & Sebadio
Agennensi.*

Gregorius Beticus in Hispania, & Sebadius, siue Phegadius siue Phebadius Agennensis in Gallia, eodem tempore, quo sanctus Athanasius, & sanctus Hilarius aduersus Arianos librum quisque suum edidit. Meminit horum auctorum & librorum sanctus Hieronymus in libro de Scriptor. Eccles. & libri ipsi nunc extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 4. Phegadii vero miræ laudes extant apud Sulpitium lib. 2. hist.

De Paciano Episcopo Barcinonensi. 360.

Paucianus Episcopus Barcinonensis obiit Theodosio imperante: & scripsit epistolas tres contra Nouatianos, quarum meminit sanctus Hieronymus in libro de Scriptor. Eccles. Nunc vero in Bibliotheca sanctorum Patrum, & seorsim in editione Romana anni Domini 1564. non solum extant tres illæ epistolæ sed etiam parenesis eiusdem Paciani ad pœnitentiam, & libellus de baptismo. Neque aliquid occurrit, vnde de eorum librorum auctoritate dubitari possit.

De Dydimo Alexandrino. 361.

Dydimus alexandrinus cæcus à prima ætate dictauit opera prima & nobilissima, teste sancto Hieronymo in libro de Scriptor. Ecclesiast. Nunc solum extat liber de Spiritu sancto inter opera sancti Hieronymi, quoniam eum librum idem sanctus Hieronymus latinitate

rate donavit: & expositio in epistolas canonicas in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 9. extat etiam liber contra Manichæos apud Henricum Canisium tomo quinto antiquæ lectionis. Claruit sub Valentiniano & Valente Principibus. In eo reprehenditur ab ipso etiam sancto Hieronymo, eius alioqui admiratore, quod Origenis errores securus est. Vide Apologiam aduersus Rufinum.

De S. Optato Mileuitano. 365.

SANCTUS Optatus Mileuitanus Episcopus eodem tempore floruit: & egregios septem libros aduersus Donatistas edidit. Sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccl. sex libros ab Optato scriptos fuisse dicit: sed nunc septem numerantur, neque septimus dissentit à cæteris. Facile fuit in librum S. Hieronymi irrepsisse errorem in numeris.

De Tito Bostreno. 365.

TITUS BOSTRORUM Episcopus vixit Imperatore Iuliano sed obiit sub Valente, vt sanctus Hieronymus testatur in li. de Script. Eccl. egregios libros cōtra Manichæos è quibus tres cum argumento quarti, editi sunt Ingolstadii anno 1604. ab Henrico Canisio tomo quinto antiquæ lectionis: Extant etiam eiusdem Titii commentaria in Matthæum, & Lucam impressa cum aliis quibusdam Ingolstadii apud Sartorium. Obseruandum est autem Commentaria in Matthæum, & Lucam non posse esse huius Titii, quoniam auctor horum commentariorum passim citat Chrysostomum, Cyrillum Alexandrinum, & Pelusiorum, qui pueri erant cum Titus moreretur.

De S. Cyrillo Hierosolymitano. 365.

SANCTUS Cyrillus Hierosolymæ Episcopus sub Cōstantio Episcopus factus, ac sæpe de sede eiectus, & sedi restitutus, tandem Theodosio imperante obiit. Scripsit in adolescentia Catecheses, quæ nunc Latine, & Græce

extant. Fertur etiam eius epistola ad Constantium de apparitione Crucis: cuius epistolæ sanctus Hieronymus in lib. de Script. Ecclesiast. non meminit, sed nihil est cui improbetur.

De Apollinario. 365.

Apollinarius Laodicensis Episcopus vixit à tempore Constantii Imper. vsque ad Theodosium Ieniorem, vir fuit magis peritus Poeticæ, & Rhetoricæ, quam Theologiæ: ideo in errores grauissimos incidit, atque in eum potissimum, quod in Christo non esset anima rationalis. Scripsit innumerabilia, teste sancto Hieronymo in libro de Scriptor. Ecclesiast. & sancto Basilio epistol. 72. vbi dicit, Apollinarem fuisse nimis promptum ad scribendum & mundum rotum libris suis repleuisse, sed libris parum considerata scriptis. Nunc solum extant Psalmi Dauidis ab ipso carmine heroico descripti, & Parisiis impressi an. 1580.

De sancto Ephrem Syro. 365.

Sanctus Ephrem Diaconus Edessenus obiit sub Valente Principe, scripsitque plurima opera, quæ teste sancto Hieronymo in libro de Scriptor. Ecclesiast. in Ecclesiis post lectionem scripturarum publice legi solebant. Edita sunt Colonia anno 1547. multa opera S. Ephrem, magis pia, quam docta, sed multo plura Romæ à Gerardo Vossio partim anno 1589. partim anno 1593. Sed non vacauit mihi legere, nisi sermones aliquos de compunctione, & pœnitentia, & de S. Cruce & passione Domini & de S. Deipara, & alia quædam: ideo iudicare nequeo an sint omnia vere S. Ephrem opera, an supposititia aliqua sint admixta.

De sancto Basilio. 370.

Sanctus Basilius Magnus Archiepiscopus Casariensis in Cappadocia, Valente imperante floruit, & sub Gratiano obiit, vt sanctus Hieronymus testatur in libro de Scriptor. Ecclesiast. Opera eius præclarissima sunt, & qua-

Quatuor tomis continentur in editione Basileensi anni
1540.

Tomii primi hac sunt.

In opificium sex dierum homiliae	11
In Pfalmos homiliae	17
Variorum argumentorum homiliae	28

Tomii Secundi.

De Virginitate lib. 2.	De Paradiso,	1
Contra Eunomium libri		3
Contra Sabellianos, & Arianos lib.		1
De Spiritu sancto,		1
De libero arbitrio. 1.	De Baptismate.	2

Tomii Tertii.

Sermones ascetici. 7.	De Iudicio Dei.	1
De Confessione fidei.		1
Moralium summarum.		80
Quaestiones fuse explicatae.		55
Quaestiones compendio explicatae.		315
Constitutiones Monasticae.		

Quarti Tomii.

Epistola Basilii, & Gregorii Theologi,	180
Epistola ad Chilonem de vita solitaria.	
Aliae eiusdem epistolae.	
Oratio aduersus eos, qui calumniantur, quod tres Deos dicimus.	

Observatio in Opera S. Basilii.

IN primo tomo ponuntur homiliae undecim de opificio
sex dierum: sed nouem tantum censentur à nonnullis
esse Basilii, quia sanctus Hieronymus nouem tantum me-
minit. Duæ postremae tribuuntur Gregorio Nysseno, qui
opus Basilii imperfectum perficere studuit. Sed falli vi-
dentur, qui decimam, & undecimam homiliam Grego-
rio tribuunt, & Basilii esse negant: nam ipse Gregori-

Us in libro suo de opere sex dierum extremo dicit quidem in supplementum operis Basilii composuisse se librum de opificio hominis, sed non duas homilias : & liber ille extat inter opera Gregorii Nysseni, sed diuersus omnino ab illis duabus homiliis Basilii. Scribit sanctus Hieronymus in libro de Scriptor. Eccles. homilias Basilii de opere sex dierum esse nouem sed hoc dicit quia Basiliius nouem tantum initio scripsit, sed postea addidit alias duas, quarum initium est. Veteris debiti solutionem, &c. Vide infra in obseruatione in opera Gregorii Nysseni.

In secundo tomo ponitur liber vnus de Paradiso : sed in editione Antuerpiensi anni 1568. ponuntur homiliae quatuor.

Item in secundo tomo ponuntur libri tres contra Eunomium : sed in editione Antuerpiensi, libri quinque : & quamuis duos vltimos libros Erasmus sustulerit, vt indignos Basilio, alii tamen Basilio non indignos censent.

In tertio tomo sunt quaestiones compendio explicatae, quae non sunt indubitatae. Nicephorus enim lib. 9. cap. 16. & lib. 13. cap. 29. & Sozomenus lib. 3. cap. 13. dicunt, a multis tribui Eustathio Sebasteno Ascetica Basilii : id quod de quaestionibus compendio explicatis intelligendum videtur : nam qu. 1. & 95. videtur damnare traditiones, quas Basiliius acriter defendit in libro de Spiritu sancto cap. 27. item qu. 4. & 293. videtur tollere de medio discrimen peccati mortalis, & venialis : quod certe sancto Basilio tribui non potest. Additur etiam in editione Antuerpiensi Commentarius S. Basilii in 16. capita Isaiae Prophetiae : & alia quaedam minutiora, tum in ea editione, tum in aliis adduntur.

De S. Gregorio Nazianzeno. 370.

SANCTUS Gregorius Episcopus Nazianzenus, cognomento Theologus, S. Basilii aequalis & studiorum comes, floruit sub Valere, & anno II. Theodosii obiit, teste Sancto Hieronymo de Scriptor. Eccles. Multa scripsit, in quibus

quibus sapientiam cum eloquentia mirifice copulauit; quæ extant Colonia edita, anno Domini 1570. hæc sunt:

Libri scripti soluta Oratione.

Apologerici lib. 4. Orationes ad diuersos.	3.
Orationes funebres.	7.
Oratio in laudem Heronis Philosophi.	1.
Orationes de pace.	3.
Orationes siue libri de Theologia,	5.
Orationes in Iulianum Imp.	2.
Ad Clidonium epistolæ.	2.
Orationes in dies festos. 7 Tractatus de fide.	1.
Tractatus de fide Nicænæ Synodi.	1.
Orationes variorum argumentorum,	17.
Ad virginem exhortatio,	1.
Metaphrasis in Eccleasten, 1. Epistolæ.	80.

Carmina.

Tragœdia, Christus patiens,	1.
De rebus suis.	2.
De variis argumentis veteris, & noui Testamenti.	9.
De Virginitate insigne carmen.	1.
De præceptis à Virgine seruandis.	1.
Spiritualia epigrammata.	11.
Sententiarum spiritualium carmine scriptarum libri.	3.

Observatio in Opera S. Gregorii.

Oratio in laudem Heronis Philosophi, debet inscribi, in laudem Maximi Philosophi, vt testatur S. Hieronymus in libro de Script. Eccles. in Gregorio Nazianzeno, vbi reprehendit eos, qui mutauerunt nomen Maximi in nomen Heronis

Metaphrasis in Eccleasten non est Gregorii Nazianzeni, sed Gregorii Thaumaturgi, vt supra ostendimus. Tragœdia Christus patiens, non videtur habere grauitatem solitam Nazianzeno, præsertim cum describitur euulatus matris Christi, quæ prudentissima, & constantissima erat.

De sancto Damaso. 367.

SANCTUS Damascus Romanus Pontifex an. sexto Theo-
dosii obiit, & scripsit de Virginitate, & alia, quorum
meminit sanctus Hieronymus in lib. de Script Eccles.
Sed vera eius scripta non extant exceptis paucis episto-
lis, quarum aliqua sunt inter epistolas S. Hieronymi, a-
liqua in historia Theodoretii lib. 2. cap. 22. & lib. 5. cap.
10. & 11. Tribuitur S. Damaso liber de vitis Pontificum
qui extat in primo tomo Conciliorum: sed liber ille est
Anastasio Bibliothecarii, non Damasi, vt notum est.

De Faustino Diacono. 367.

FAUSTINUS Diaconus vixit tempore Damasi Pontificis
& bis schismaticus fuit, semel in schismate Vrsicini
contra Damasum, & iterum in schismate Luciferianorum,
vt testantur Gennadius de viris illustribus, & Card. Ba-
ronius tomo 4. Annalium, ad annum Damasi I. & Syricii
IV placuit tamen cum in hoc Catalogo ponere, quoniam
scripsit ad Flacillam Imperatricem libros 7. contra Aria-
nos satis eruditos, qui extant in Bibliotheca sanctorum
Patrum tom. 4. edit. 2.

De sancto Epiphano. 370.

SANCTUS Epiphanius Salaminae Cypri Episcopus floruit
sub Valente Gratiano, & Theodosio Augustis. Scri-
bit S. Hieronymus in libro de Scriptor. Eccles. Epiphani-
um anno quartodecimo Theodosii adhuc superfuisse, &
in extrema etiam senectute libros scripsisse.

Opera eius haec extant.

Opus panarium contra omnes haereses, quae tunc ad
octoginta numerabantur.

Liber inscriptus Ancoratus.

Anacephaleosis, siue summa panarii.

De mensuris, & ponderibus liber.

Historia breuis de Prophetarum vita.

Ad Io.

Ad Ioan. Episcopum Hierosolymitanum epistola, à S. Hieronymo latinitate donata.

De his operibus nulla dubitatio est.

Dicitur Epiphanius scripsisse vitam S. Hilarionis: sed ea non extat.

Ad finem epistolæ ad Ioannem Hierosolymitanum videtur aliquid additum ab Iconoclastis: de qua re vide Controuersias nostras lib. 2. de Sanctis cap. 9.

De Philone Carpathio. 374.

PHilo Carpathius à S. Epiphanio Episcopus ordinatus est, vt in vita S. Epiphanii legitur. Scripsit Commentaria in Cantica canticorum, quæ extant in primo tomo Bibliothecæ sanctorum Patrum, secundæ editionis. Sed videntur multa inserta ex Commentario S. Gregorii Pape in Cantica, quæ cum reliqua explicatione non multum cohærent.

De S. Ambrosio Mediolanensi. 374.

SANCTUS Ambrosius Episcopus Mediolanensis vir plane sanctissimus, & doctissimus Gratiano, & Theodosio Imperatoribus floruit. Obiit anno tertio post excessum Theodosii qui erat trecentessimus nonagesimus septimus ab aduentu Saluatoris, ex Card. Baronio.

Opera eius in editione Parisiensi, anni Domini 1549. qua ego vtebar cum hæc scriberem, hæc sunt.

Tomi primi.

De Officiis, lib. 3.	De Virginibus	3.
Ad Virgines exhortatio		1.
Institutio Virginitatis		1.
Ad Virginem deuotam.		1.
Ad Virg. lapsam.		1.
De Viduis I.	De Pœnitentia	2.
Exhortatio ad Pœnitentiam		1.
De fuga seculi I.	De bono mortis.	1.

Tomi Secundi.

De vocatione gentium, lib.		1.
	De fi-	

De fide ad Gratianum	5.
De spiritu sancto ad eundem	3.
De fide contra Arianos	1.
De Incarnationis Sacramento	1.
De mysterio Paschæ	1.

Tertii Tomi.

Oratio funebris de obitu Valentiniiani.	
Alia de obitu Satyri.	
De fide resurrectionis Oratio.	
Alia de obitu Theodosii.	
Epistolarum ad diuersos, lib.	10.
Conciones ad Populum	91.

Tomi Quarti.

Exameron, lib. 6. De Paradiso	1.
De Cain, & Abel 2. De Noe, & Arca	1.
De Abraham patriarcha	2.
De Isaac, & Anima	1.
De Iacob & beata vita.	2.
De Ioseph Patriarcha	1.
De benedictionibus Patriarcharum	1.
De Nabuthe Iezraelita.	1.
De Elia, & Ieiunio 1. De Tobia	1.
De interpellatione Iob, & David.	3.
Apologia David 1. De Salomone	1.
Deiis, qui mysteriis iniantur	1.
De Sacramentis	6.
De Dignitate Sacerdotali.	1.
Precaiones ante Missam	2.
Commentarii in Psalm. 1. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 43. 45. 47.	
48. 61. & 118.	
Alia David Apologia.	
De interpellatione David.	

Tomi Quinti.

In Euangelium Lucæ, lib.	10.
In omnes Epistolas S. Pauli commentaria.	
	De fi.

De fide resurrectionis a cephalus.

Precationis piæ. Hymni sacri.

Canticum sanctorum Ambrosii & Augustini, quod incipit, Te Deum laudamus.

Observatio in Opera S. Ambrosii.

IN primo tomo, Liber ad Virginem lapsam non videtur esse S. Ambrosii: nam cap. 8. si loquitur auctor. In hære pœnitentiæ usque ad extremum vitæ, nec tibi præsumas ab humana die posse veniam dari: quia decipit te, qui hoc tibi polliceri voluerit: quæ enim proprie contra Dominum peccasti, ab illo solo te convenit in die Iudicii expectare remedium. Atqui hæc sententia Novatianum errorem continet, & contra eam disputat sanctus Ambrosius in duobus libris de pœnitentiâ: quos libros iudicat ipse cap. 8. lib. 2. à se fuisse compositos, dum describit, quo pacto a forensi negotio ad sacerdotium repetite vocatus fuerat. Petrus quidem à Soto lect. 2. de necessitate confessionis libros duos de pœnitentiâ non audeat affirmare esse S. Ambrosii: sed communiter S. Ambrosio adscribuntur.

In secundo tomo, libri de vocatione gentium falso tribuuntur S. Ambrosio, cum manifeste S. Prosperi sint. Certe Ambrosii esse non possunt, cum lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 8. disputet auctor adversus Pelagianos qui post mortem S. Ambrosii exortisunt.

In tertio tomo, certum est aliquas epistolas & aliquos sermones non posse esse Ambrosii. Nam in epistol. 84. quæ est ad Demetriadem, mentio fit Pelagianorum, qui (vt paulo ante dixi) Ambrosio noti non fuerunt. Sunt etiam, qui epistolam 8. ad Vercellenses, S. Ambrosii, esse negant quod in ea fiat mentio Venetiæ, quæ tempore S. Ambrosii nondum conditæ erant. Sed falluntur: nam per Venetias eo loco non intelligitur ciuitas Venetiæ sed regio: coniunguntur enim Venetiæ cum Liguria, & Æmia: sic enim loquitur auctor in principio epistolæ, Ex omnibus Liguriæ, atque Æmiæ Venetiæque, vel cæteris finitimis Italiæ partibus, &c.

Sermo

Sermones, nonus, tricesimus septimus, & septuagesimus secundus inueniuntur etiam inter sermones sancti Augustini. Item sermo 69. qui est de S. Eusebio Verceilensi Episcopo, & sermo septuagesimus tertius, qui est de sancto Cypriano, inueniuntur etiam inter sermones sancti Maximi, sed verbis alicubi mutatis.

Sermones vero sequentes nempe, 3. 14. 30. 31. 32. 44. 47. 50. 51. 52. 53. 54. 56. 57. 58. 60. 61. 62. 66. 71. 77. 78. & 82. sunt ad verbum inter sermones sancti Maximi, ut plane iudicari non possit, utrum Ambrosio, vel Maximo tribui debeant. Sed cuiuscunque sint, antiqui, & Sancti auctoris sunt.

Sermo nonagesimus de passione B. Agnetis dubius redditur, quoniam sanctus Ambrosius libro 1. de Virginitate significat, Beatæ Agneti ceruicem gladio amputatam. Stetit inquit, orauit, ceruicem inflexit. At illius sermonis auctor scribit, B. Agneti ad palum alligatæ, ut combureretur, cum flamma diuinitus extincta esset, iussu Aspasia iudicis gladio guttur fuisse perfosum.

Sermo quoque nonagesimus secundus, de Baptismo S. Augustini, longissime distat à stylo, & grauitate Ambrosii: neque villo modo credibile est, quod in eo sermone dicitur, Ambrosium sæpe Deum orasse, ut eum à captiuitate Augustini liberaret. Augustinus enim non disputando cum Ambrosio, sed eum concionantem audiendo ad fidem Catholicam conuersus est, ut ipse idem testatur lib. 5. confess. cap. 13. & lib. 6. cap. 1.

In quarto tomo Apologia David posterior, & liber etiam posterior de interpellatione David non videtur esse Ambrosii, tum quia stylus diuersus est, & iam ante scripserat Ambrosius Apologiam David, & libros tres de interpellatione David, tum quia auctor posterioris Apologiæ negat, adulterium David fuisse verum adulterium, & allegorice interpretandum censuit, Ambrosius autem in vera Apologia sua peccatum adulterii confitetur, sed laudat pœnitentiam.

In quinto tomo, sunt commentaria in epistolas sancti Pauli,

Pauli, quæ à multis non creduntur Ambrosii, nec sine causa.

Primo, quia S. Augustinus, qui libenter, & frequenter Ambrosii testimoniis utitur contra Pelagianos, ex his commentariis nulla testimonia petit.

Secundo quia Pelagius ipse, qui Ambrosii testimonia sancto Augustino obicere solet ex his commentariis nihil obiecit, cum tamen in his commentariis sint non pauca, quæ Pelagii errores continere videntur, ut perspicuum est ex commentariis in epistolam ad Romanos.

Tertio, quia auctor horum commentariorum multa exponit contra sententiam S. Ambrosii, quod plane perspiciet, qui conferre voluerit illud Philip. 2. Qui cum in forma Dei esset: explicatum in commentario huius auctoris, cum explicatione Ambrosiana in epistol. 47, & lib. 2. de fide cap. 4. & illud 1. Tim. 1. Regi seculorum immortalis: explicatum in commentario huius auctoris, cum expositione Ambrosiana lib. 2. de fide cap. 1. & 3. & lib. 3. cap. 2.

Quarto, quia sanctus Augustinus lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 4. citat sanctum Hilarium in expositione illorum verborum ad Rom. 5. in quo omnes peccauerunt: & sententia, quam sanctus Augustinus citat, habetur totidem verbis in commentario huius auctoris: non igitur auctor huius commentarii, est Ambrosius, sed Hilarius Pictaviensis, aut Hiliarius Arelatensis: nam iste auctor vixit tempore Damasi, ut ipse testatur in Commentario ad caput tertium prioris ad Timotheum: tempore autem Damasi Hilarius Arelatensis, aut natus non erat, aut adolescens erat: S. autem Hilarius Pictaviensis obiit anno quinto Valentiniani Imp. ex Hieronymo in Chronico: annus autem quintus Valentiniani erat secundus Damasi: non est autem credibile in extrema ætate tam ingens opus cudisse Hilarium, & stylus Hilarii cum stylo huius auctoris nihil simile habet: Hilarius vero Arelatensis post Damasi tempora floruit. Credibile igitur est auctorem horum commentariorum esse Hilarium

Diaconum Romanum, qui Luciferi schisma propagauit, & libros etiam non paucos scripsit, ut sanctus Hieronymus testatur in dialogo contra Luciferianos extremo. Neque mirum est, hunc Hilariū à sancto Augustino, sanctum Hilarium vocari, cum nuncupatio Sancti tunc factis communis fuerit Christianis, præsertim Ecclesiasticis.

Postremo accedit, quod idem videtur esse auctor horum commentariorum, & quæstionum veteris, & noui testamenti, quæ extant inter libros sancti Augustini: doctrina enim horum commentariorum, & illarum quæstionum simillima est, ut notauerunt Censores Louaniceses in notis ad Augustinum: stylus videtur etiam esse idem & ætas mirifice consentit: auctor enim illarum quæstionum quæst. 44. scribit, ab excidio Hierosolymæ vsque ad sua tempora fluxisse annos trecentos: quibus si addas annos à Natiuitate Christi vsque ad excidium Hierosolymæ erunt omnes anni 372. vel 373. ut ex Chronico S. Hieronymi apparet. Hoc eodem tempore sedisse Damasum Pontificem, sub quo auctor horum commentariorum scripsisse se memorat in explicatione capitis primi epistolæ prioris ad Timoth. notissimum est.

Quod si auctor horum commentariorum idem sit cum auctore illarum quæstionum, plane efficietur auctorem horum commentariorum non esse Ambrosium. Ambrosius enim nihil scripsit antequam Episcopus fieret, neque factus est Episcopus ante annum Dom. 374. ut Card. Baronius in Annalibus docet. Ille autem auctor cum scriberet, numerabat annum Dom. 372. vel 373. ut supra diximus.

In eodem tomo sunt hymni sacri, ex quibus aliqui certo sunt Ambrosii, ut ille, Deus creator omnium, Polique tector vestiens, &c. cuius meminit sanctus Augustinus lib. 9. confess. cap. 12. & ille, Æterne rerum conditor Noctem diemque qui tegis, &c. cuius meminit idem Augustinus lib. 1. Retract. cap. 21. Aliqui certo non sunt Ambrosii, ut ille, Vexilla Regis prodeunt, qui est Fortunati, & alii quidam in quibus non seruetur ratio metrica quæ

quæ Ambrosio notissima erat, eiusmodi est ille, Opratus votis omnium sacratus illuxit dies, Quo Christus mundi spes Deus conscendit cælos arduos, & ille: Christe, qui lux es, & dies Noctis tenebras detegis, &c. Isti enim indigni videntur qui Ambrosio tribuantur. Canticum, Te Deum laudamus, Ecclesia in diuinis officiis, Ambrosii, & Augustini canticum vocat & extat Chronicum S. Dacii Episcopi Mediolanensis, qui Iustino imperante floruit, in cuius chronici libro primo, cap. decimo, scribitur, completo baptismo S. Augustini, toto obstupescente populo repente canticum illud à sanctis Ambrosio, & Augustino alternatim fuisse cantatum.

Præter opera suprascripta, In editione Romana anni 1585. adduntur opera quædam sancto Ambrosio adscripta, quamuis eius non sint, vt commentarius in Apocalypsim, & alia quædam, & recte dicuntur ea opera non esse sancti Ambrosii, ac præsertim explicatio Apocalypsis, cum auctor mentionem faciat Longobardorum Italiam inuadentium: quæ inuasio diu post mortem S. Ambrosii contigit.

De S. Philastrio Brixienfi. 380.

SANCTUS Philastrius Episcopus Brixiaë, tempore S. Ambrosii vixit, vt sanctus Augustinus testatur initio libri de hæresibus ad Quod vult Deus: scripsit librum de hæresibus vsque ad sua tempora, qui libet extat in Bibliotheca sanctorum Patrum secundo edita, tomo 4. Sed illud est obseruandum, multa à Philastrio inter hæreses numerari, quæ vere hæreses non sunt: proinde cum prudentia legendus est. Quod autem in hæresi 63. meminit anni Dom. 430. mendum est Typographorum: nam ad eum annum hic auctor non petuenit.

De Idacio Claro. 380.

IDACIUS, sive Ithacius Clarus Episc. Hispanus, de quo multa Sulpitius in historia sacra cum de Priscilliano agit. Scripsit libros tres aduersus Variandum Arianum, qui extant

extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 4. edit.
2. scripsit etiam Apologeticum aduersus Priscilliani hæ-
reses, teste Isidoro de viris illustribus cap. 15. quem li-
brum extare non puto. Vixit circa annum Dom. 380. &
in eo reprehensus, & punitus, ab Episcopis fuit, quod Pri-
scillianum apud seculares Iudices accusauerit, & occidi
curauerit.

De S. Gregorio Nysseno. 380.

SANCTUS Gregorius Nyssenus Episcopus, S. Basilii fra-
ter viuebat adhuc, & scribebat anno 14. Theodo-
fii, teste S. Hieronymo libr. de Scrip. Eccles. Interfuit
Concilio Primo Constantinopolitano, & scripsit Sym-
bolum fidei in ea Synodo editum, vt refert Nicephorus
lib. 12. hist. cap. 13.

Eius opera ex editione Basileensi anni 1562. hæc sunt:

Epistola de nomine Christiani.

De Oratione Dominica, lib. 1.

De octo Beatitudinibus in cap. 5. Matth. 1.

Sermones, de Natiuitate.

De S. Stephano.

In sextum Psalmum.

De Octaua. De Pascha.

De Christi assumptione.

De Trinitate, & quod Spiritus S. sit Deus.

De eo, quod non sint tres Dii.

De differentia essentia, & hypostaseos.

De fide Trinitatis.

In dictum Apostoli, Tunc ipse filius subiicietur ei. De
dormientibus.

De Infantibus præmature raptis.

De Resurrectione, Orationes 4.

De Assumptione Domini.

In dictum Domini, Quatenus fecistis vni ex minimis
his, mihi fecistis.

De Anima & resurrectione disputatio.

De Trinitate contra Iudæos.

san-De

De sancto Baptismate.

Orationes laudatoriae in Basilium.

In 40. Martyres.

In Pulcheriam.

In Placillam.

In Gregorium Neocæsariensem.

In Theodorum martyrem.

In Meletium.

De imagine, siue de creatione hominis, supplementum
exameron Basilii.

De Philosophia, lib. 8

De vita Moyfis. 1

*Prima obseruatio in opera S. Grego-
rii Nysseni.*

DEesse videntur in hoc librorum Catalogo libri in
Eunomium, quorum meminit S. Hieronymus in li-
bro de Script. Ecclesiast. Neque dici potest, contra Eu-
nomium scriptum esse librum de Trinitate, & Quod
Spiritus sanctus sit Deus: nam hic est libellus, non libri
plures: & in hoc libello Eunomius ne nominatur qui-
dem. Audio ex Bauarica Bibliotheca depromptos Græ-
celibros duodecim contra Eunomium, eosque latinita-
te donatos à Patre Iacobo Gretsero nostro de literis, &
quod est longe amplius, de Ecclesia Catholica optime
merito. Hi sunt igitur libri, quos commemorat S. Hiero-
nymus & sibi ab ipso Gregorio lectos fuisse dicit.

Secunda Obseruatio.

PRæter libros supra numeratos extant ex editione Pa-
risiensi anni 1373.

In Ecclesiasten conciones octo.

In Cantica Canticorum explanatio.

De perfecti hominis Christiani forma.

Catechetica Oratio, quæ dicitur magna.

G 3

In eos,

In eos, qui differunt baptisma.

De fugienda fornicatione.

In eos, qui ægre ferunt reprehensiones.

In mulierem peccatricem.

De Pauperibus amandis.

De vera Virginitate.

Ad Flavianum epistola.

Tertia Observatio.

Libri octo de Philosophia non videntur esse S. Gregorii Nysseni: nam in lib. 2. docet, animam non creati in corpore, sed ante corpus fuisse creatam, qui est error Origenis: & præterea totum hoc opus philosophicum est & sapit Pelagianismum. Adde quod hoc idem opus inuenitur in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo nono, ex editione secunda sub nomine cuiusdam Nemesii Philosophi Christiani eo solum excepto, quod apud Nyssenum diuiditur in octo libros, apud Nemesium est vnus liber diuisus in capita 45. & inscribitur, De homine, siue de anima. Hic autem Nemesius, quando scripserit, ignoratur: sed quia nominatim refellit Manichæos, Apollinarem, & Eunomium, videtur vixisse, & scripsisse tempore S. Gregorii Nysseni, aut certe non antea.

Quarta Observatio.

Posset ab aliquo quæri cur Gregorius scripserit de creatione hominis ad supplendum examen Basilii, cum ipse Basilius suppleuerit opus suum addens decimam, & vndecimam homiliam, in quibus creationem hominis satis copiose explicat. Respondemus, Basilium in duabus illis postremis homilis absoluisse explanationem diuinæ Scripturæ de opere sex dierum, sed non accurate disputasse de tota structura corporis humani, imo vero solum attingisse ea, quæ ad oculos pertinent, vt ex illis cætera colligerentur. Itaque in homilia postrema aperte indicat, se non omnia dixisse, quæ dici potuissent, cum ait, Si mihi tantum superesset ocii, vt tibi hominis structuram demonstrare possem, ex te ipso sane disceres sapientiam Dei
circa

Circa te. Gregorius igitur ex his & aliis Basilii verbis occasionem accipit scribendi libri de creatione hominis, libri, inquam, longissimi, in quo suppleret ea, quæ Basiliius omisit, de voce, de auribus, de manibus, de aliis denique membris, vel sensibus, quæ structuram humani corporis admirabilem reddunt.

Quinta Observatio.

Hæretici, qui peregrinationes ad loca sancta reprehendunt, nituntur maxime Oratione quadam valde proluxa sancti Gregorii Nysseni, quam totam referunt Magdeburgenses Centuria quarta cap. 10. Sed eam orationem non inuenimus hactenus inter opera S. Gregorii Nysseni. Neque argumenta, quæ inde colligunt hæretici aliquid probant, ut nos aperte ostendimus in controuersis lib. 3. de Sanctis cap. 8.

De Amphilochio. 380.

Amphilochius Iconi Episcopus S. Gregorii æqualis, quem S. Hieronymus in epistola ad Magnum parem doctrina sacra, & prophana facere videtur Basilio, & Gregorio Nazianzeno, cum de his tribus viris dicit, non facile iudicari posse, quid in illis primum admirari debeas, eruditionem seculi an scientiam scripturarum.

Scripsit librum de Spiritu sancto, & homilias non paucas: de priore libro testis est S. Hieronymus in l. de Script. Eccles. De homiliis testis est Theodoretus, qui eas in dialogis frequenter citat.

An hoc tempore extet liber de Spiritu sancto, & homilia, quas Theodoretus citat, equidem certo scire non porui.

Extat quidem sub nomine Amphilochii vita S. Basilii Magni, sed haud dubio falsa, vel supposititia. Primum enim narrat ille auctor Basilium factum Episcopum ante mortem Iuliani. Quod repugnat historiis, & ipsi S. Gregorio Nazianzeno in oratione de S. Basilio. Deinde nar-

rat auctor, sanctum Basilium ostensum fuisse per revelationem Eusebio Cæsariensi, cum antea eum non nosset. Quod etiam falsum esse certum est, ex eo, quod Nazianzenus scribit, Eusebium cum Basilio de Episcopatu contendisse, & ea de causa inimicum Basilio factum. Tertio constat, sanctum Basilium obiisse anno ultimo Valentis Imper. & octo annis Episcopatum administrasse, ex Gregorio Nazianzeno, & aliis; proinde Episcopum factum anno sexto Valentis: at iuxta suppositivum Amphilochium, Basilius, vel sedisset annis quindecim, vel ante mortuus esset, quam Episcopus fieret, si vivente Iuliano iam Episcopus erat.

Omitto multa alia, quæ perperam narrantur in illa vitæ de Libanio, tum de aliis.

De S. Hieronymo. 390.

Sanctus Hieronymus presbyter & Ecclesiæ doctor floruit anno 14. Theodosii, ut ipse de se testatur in libro de Script. Eccles. extremo. Obiit Honorio imperante anno Domini 422. ætatis suæ anno 51. ex chronico sancti Prosperi, vel anno Domini 420. ætatis anno 78. ex Annalibus Card. Baronii. Opera sancti Hieronymi novem tomis continentur in editione Lugdunensi anni millesimi quingentesimi trigesimali. In editione vero Romana anni 1565. & 1572. Mariani Victorii idem est tomorum numerus, sed quæ prior editio coniecerat in quartum tomum, editio posterior coniecit in octavum, & nonum: & quæ editio prior collocaverat in tomis quinto, sexto, septimo, octavo, & nono: posterior collocat in quarto, quinto, sexto, & septimo. Nos sequemur ordinem editionis posterioris, quæ ab erroribus Erasmi purgata est.

Igitur in primo tomo hæc opera insunt.

Primi Tomi.

Epistolæ hortatoriæ, ut plurimum, 42.
Ad Heliodorum. Ad Rusticum.

Ad

Ad Lætam. Ad Saluiam.
Ad Agereuchiam, duæ. Ad Paulinum.
Ad Paulum, & Eustochium nomine Marcellæ. Ad Marcellam, tres.
Ad Paulum Concordiensem.
Ad Theophilum Alexan.
Ad Castrutium. Ad Exuperantium.
Ad Iulianum Diaconum.
Ad Virgines Hermonenses.
Ad Rufinum. Ad Chromatium & alios.
Ad Antonium.
De vitando suspecto contubernio.
Ad Sabinianum Diaconum.
Ad Nepotianum. Ad Florentinum, duæ.
Ad Demetriadem. Ad Furiam,
Ad Gaudentium. Ad Celantiam.
Ad Eustochium, duæ.
Ad Lucinium.
Ad Abigaum. Ad Iulianum.
Ad Castorinam. Ad Theodosium Monachum. Ad Augustinum.
Ad Nicæam Diaconum.
Ad Chrisogonum. Ad Rusticum.
In eodem tomo sunt epistolæ laudatoriæ, siue funebres, numero duodecim.
In Nepotianum. In Marcellam.
In Blefillam. In Afellam.
In Leam. In Paulam.
In Lucinium. In S. Paulum.
In Malchum. In Fabiolam.
In sanctum Hilarionem.
In mulierem septies ictam.
Denique ad finem primi tomi, est liber de Scriptoribus Ecclesiast. siue de viris illustribus.

Observatio in primum Tomum.

In hoc primo tomo nihil est, de quo merito dubitari possit.

Secundi Tomi

In secundo Tomo libri sunt contra hæreticos, vel calumniatores.

Aduersus Heluidium, lib. 1.

Aduersus Iouinianum, lib. 2.

Apologia pro libris in Iouinianum.

apologeticum ad Domnionem.

Ad Pammachium pro iisdem libris.

Aduersus Vigilantium ad Riparium epistola.

Aduersus Vigilantium, lib. 1.

Ad Marcellam aduersus Montanum epistola.

Aduersus Luciferianos Dialogus.

Ad Auitum contra Origenem.

Ad Ioannem Hierosolymitanum Origenistam.

Ad Pammachium de erroribus Io. Hierosoly.

Ad Theophilum contra eundem Ioannem.

Apologiæ aduersus Ruffinum lib. 3.

Ad Cresiphontem aduersus Pelagium.

Aduersus Pelagianos, lib. 3.

Ad diuersos diuersorum argumentorum epistolæ triginta
necnon epistolæ Epiphani, Theophili, & Augustini.

Ad Hieronymum epistolæ octo.

Observatio in secundum Tomum.

In hoc etiam tomo nihil est dubium, vel suppositium.

Tertij Tomi,

In Tomo tertio sunt præfationes, & questionum explanationes.

Ad Paulinum de libris diuinæ scripturæ.

Præfationes in Pentateuchum.

In Iosue. In libros Regum.

In librum Paralip. 2.

In Esdram. In Tobiam.

In Iudith. In Esther.

In Iob. In Prouerbia.
 In Ecclesiastem. In Cantica.
 In Isaiam. In Hieremiam.
 In Ezechielem. In Danielelem.
 In 12. Prophetas.
 In quatuor Euangelia.

Sequuntur in eodem tomo explicaciones quaestionum
 à diuersis propositarum.

A Damaso. A Dardano.
 A Vitali. Ab Amando.
 A Minerio, & ab Alexandro.
 A Cypriano. A Paula Urbica.
 Ab Euagrio. A Marcella.
 A Sophronio. Ab Hedibia,
 A Principia Virgine. A Fabiola.
 A Ruffino. A Sunia, & Fretella.
 Ab algasia. A Paulino. A Desiderio.

Denique sunt in eodem Tomo.
 Traditiones siue quaestiones Hebraicæ.

In Genesim.

In libros Paralipomenon.

In libros Regum.

Item, libri de locis Hebraicis, & de nominibus Hebraicis, quæ in omnibus libris testamenti veteris & noui occurrunt.

Observatio in Tomum tertium.

In hoc tomo nihil est, de quo dubitetur exceptis quaestionibus in libros Regum, & in libros Paralip. Sanctus enim Hieronymus in libr. de Script. Eccles. extremo, testatur, se scripsisse traditiones, siue quaestiones Hebraicas in Genesim, loca Hebraica, & nomina Hebraica; & de traditionibus, siue quaestionibus Hebraicis in libros Regum, & in lib. Paralip. nihil dicit, præterea in quaestionibus Hebraicis in Genesim adscribit idem Hieronymus passim verba Hebraica, in quaestionibus autem in libros Regum & Paralip. non nisi semel, aut iterum id facit. Denique grauior videtur scriptio illa in Genesim, quam

ista

ista, in libros Regum, & Paralipomenon, sed cuiuscunque sit hoc opus, non magis refert.

Quarti Tomi.

In 4. tomo sunt commentaria in quatuor Prophetas maiores, & Threnos Hierem.

Quinti Tomi.

In quinto tomo sunt commentaria in Ecclesiastem: & in duodecim Prophetas minores.

Sexti Tomi.

In tomo sexto commentaria in Matthæum, In epistolas ad Galatas, ad Ephesios, ad Titum, ad Philemonem, Liber Didymi de Spiritu S. à Hieronymo latinus factus.

Observatio.

In his tribus tomis omnia sunt legitima, & certa, quod attinet ad auctorem excepto Commentario in Threnos Hieremiæ, qui videtur esse potius Rabani, quam Hieronymi: habetur enim inter opera Rabani, & inveniuntur in eo sententiæ aliquæ ex sancto Gregorio decerptæ.

Post Commentarium in Matthæum, sequebatur Commentarium in Marcum, quod Marianus prudenter omisit quia auctor ostendit se neque Græcæ linguæ, neque Hebraicæ fuisse peritum: & in explicatione ca. 14. & 15. multa scribit inepta, & falsa.

Septimi Tomi.

In tomo septimo Commentaria in Psalmos omnes. Versio S. Hieronymi ex Hebræo.

Observatio.

De Commentariis in psalmos obscura quæstio est: scripsit sanctus Hieronymus in psalmos septem, videlicet in Psal. 14. 15. 16. 17. 18. 19. & 20. vt ipse testatur in libr. de Script. Eccles. Deinde scripsit in Psalm. 44. 89. & 126. vt notū est ex Epistolis eius ad Principiam, & ad Cyprianum, &

num, & ad Marcellam. Scripsit denique Commentarios in omnes Psalmos, ut ipse idem testatur in Apologia prima contra Ruffinum. Certum est primos tractatus in Psalmos septem, periisse: non minus certum est, explicationem trium psalmodum, esse S. Hieronymi, & arate inter epistolas. De Commentariolis quaestio est, an sint ista Commentaria, quae sub nomine sancti Hieronymi extant in hoc septimo tomo. Quod enim sint ista ipsa Commentaria, quae nunc extant, probari potest, primo ex eo quod sanctus Hieronymus in Apologia prima contra Ruffinum, scribit, se in Commentariolis illis vertisse verba Hebraica, *nassecubar*, quae habentur in secundo Psalmo, *adorate filium*, eadem autem verba in interpretatione Psalterii de Hebraeo in Latinum, vertisse, *adorare pure*: & utramque lectionem defendit. Atqui in istis Commentariis, de quibus agitur, inuenitur, *adorate filium*: & in interpretatione ex Hebraeo inuenitur, *adorate pure*, igitur sicut interpretatio Psalterii ex Hebraeo, quae extat, est sancti Hieronymi, ita & Commentaria quae extant, eiusdem sunt Hieronymi. Deinde probari potest alio simili argumento ex sancto Augustino: Sanctus enim Augustinus in epistola ad Fortunatianum citat verba S. Hieronymi exponentis Psalmum nonagesimum tertium: & verba illa omnia inueniuntur in Commentario isto, ut non videatur posse esse dubium, quin sanctus Augustinus citauerit Commentaria ista sub nomine S. Hieronymi. Accedit tertium argumentum ex testimonio sancti Gregorii, qui explicans verba illa Psalmi quarti poenitentialis: *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicias*: allegat sanctum Hieronymum exponentem eundem locum: & expositio illa in his Commentariis inuenitur: proinde testimonio sancti Gregorii, haec ipsa Commentaria sancti Hieronymi esse videntur. Contra tamen sunt argumenta non minus probabilia. Nam hic auctor in explicatione Psalmi sextidecimi, disertis verbis citat Eucherium: Eucherium autem, qui ex scriptis notus est, multis annis sanctus Hieronymus praecessit: neque in libro de Script. Eccles. ullius Eucherii sanctus Hieronymus meminit, cum

tamen

tamen nullum fere prætereat ex maioribus, vel æqualibus suis. Deinde hic idem auctor in explicatione Psal. 108 scribit, suo tempore fuisse annum quadringentesimum ab excidio Hierusalem, in quo cœpit vltima captiuitas Iudæorum: excidium autem Hierusalem contigit anno quadragesimo secundo post passionem Domini, vt idem auctor ibidem affirmat: quibus annis si addamus annos triginta tres vitæ Christi, erunt omnes simul anni 475. Igitur auctor horum Commentariorum viuebat anno Domini 475. Atqui sanctus Hieronymus obiit anno Domini 422. vt supra dictum est. Accedit tertium argumentum quod hic auctor in explicatione Psal. 86, dicit illa verba: Nunquid Sion dicet homo, esse ex Hebraica veritate: & tamen in translatione Psalterii ex Hebræo sanctus Hieronymus vertit, Ad Sion dicetur homo: & vere sic est in Hebræo, vt videatur auctor horum Commentariorum non calluisse linguam Hebraicam, ac per hoc non esse Hieronymus, qui eius linguæ, sine controuersia peritissimus erat. At (vt omittam alia multa) S. Hieronymus in Apologia prima contra Ruffinum scribit, se Cōmentarios confecisse in Psalmos: auctor autem horum Commentariorum in quorundam Psalmorum explicatione longissimas disputationes vel cohortationes adiungit. Vide Commentaria in Psal. 81. 86. 132. 133. & secundam expositionem Psalm. 119. quæ habetur ad finem Commentarii: isti enim Psalmi breuissimi sunt, & Commentaria habent fusissima. Ego igitur (si mihi liceat sententiam meam exponere) existimo, Commentaria, de quibus agimus, vere esse sancti Hieronymi, sed non pura. Videtur enim aliquis longe posterior scriptor adiunxisse multa de suo: quod idem accidit versioni Scripturarū ex Hebræo, quam habemus in editione vulgata: est enim versio ipsa sancti Hieronymi, exceptis Psalmis, in editione vulgata, sed multis additis, vt ostendi in Controuersis, lib. 2. de Verbo Dei, cap. 9. extremo: sic igitur Commentaria ista Hieronymi sunt, sed aucta ab aliquo, qui multa inseruit ex Hilario, ex Ambrosio, ex Ruffino, & ex Augustino, & qui etiam adiecit cohortationes, siue conuinc-

las; quæ habentur interdum ad finem, & qui ista adiecit videtur vixisse anno Domini 475. vt etiam facile Eucherium citare potuerit. atque ex hac obseruatione soluntur omnia argumenta, quæ nos paulo ante adduximus, quæque ab aliis Scriptoribus adducuntur. Illud vnum videtur solui non posse, quod hic auctor dicat, secundum Hebraicam veritatem haberi in Psal. octuagesimo sexto Nunquid Sion dicit homo, Respondemus tamen, vocem illam (Hebraicam) irrepisse in textum scioli alicuius temeritate, & omnino abradendam esse: auctor enim dixerat: alicubi legi, Mater Sion, alicubi, Nunquid Sion: & addidit, in textu Græco haberi μήτι, id est, nunquid, sed aliquo mutatum est in μήτις, id est, mater: & se velle vtroque modo exponere: & cum exposuisset, Mater Sion, addit, exponamus nunc secundum Hebraicam veritatem, quæ habet, Nunquid Sion, vbi illud, Hebraicam, superuacaneum est: & legendum videtur exponamus nunc secundum veritatem, quæ habet Nunquid Sion: illud enim, Mater Sion non est secundum veritatem Græci textus, sed secundum corruptionem: in illis enim Commentariis sanctus Hieronymus exponit Psalterium secundum versionem Græcam Lxx. Interpretum, non secundum versionem ex Hebraico.

Octauo Tomi.

In Tomo octauo hæc sunt.

In Iob Commentaria Bedæ.

In Prouerbia Commentaria Bedæ.

In Cantica Homiliæ Origenis.

In omnes Pauli epistolas Commentaria falso attributa Hieronymo:

Obseruatio.

Recte Marianus Victorius Commentaria in Iob non tribuit sancto Hieronymo, sed Bedæ: nam in extremo volumine scribit auctor, se scripsisse in gratiam Vesterii: Vesterium autem Episcopum fuisse in Anglia tempore Bedæ, ex historia eiusdem Bedæ manifeste colligitur.

Recte

Recte quoque Commentaria in Prouerbia tribuuntur Bedæ, non autem Hieronymo, siquidem in caput 21. & 31. citatur S. Gregorius Papa; & in cap. 30. citatur nominatim S. Hieronymus.

Commentaria in omnes Epistolas, non solum non sunt Hieronymi, sed, quod magis mirum est, Pelagii hæresiarchæ sunt. Nam sanctus Augustinus, lib. 3. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 1. dicit, se legisse Commentaria Pelagii breuia in omnes epistolas Pauli: & infra ca. 12. allegat quædam ex Commentariis in cap. 7. prioris ad Corinth. quæ in his Commentariis inueniuntur. Vide auctorem horum Commentariorum, in cap. 5. 6. 7. & 8. & 11. ad Romanos, item 1. Corinth. 4. Philip. 1. & 3. & in caput 6. prioris ad Timoth. & inuenies sententias manifeste Pelagianas.

Noni Tomi.

In Tomo nono sunt multa aliorum vt Eusebii Cæsariensis, Ruffini, Augustini, Gennadii, & aliorum, de quibus nullum est dubium.

Plurimi etiam libri, vel epistolæ ponuntur, quas Erasmus tanquam supposititias in tomum quartum cõiecerat, Vere enim nihil horum est, quod Hieronymi doctrina, vel fide sit dignum. Ego solum ea commemorabo, quæ manifeste comperi ad Hieronymum non pertinere.

Epistola ad Demetriadem Virginem, quæ incipit, Si summo ingenio: Pelagiana est, & à S. Augustino tribuitur ipsi Pelagio, & confutatur in libro de gratia Christi cap. 22. 27. 37. 38. & 40.

Epistola ad Geruntii filias, similiter Pelagiana est: sicut etiam.

Epistola ad Amicum de cognitione diuinæ legis.

Epistola de Scriptoribus Ecclesiasticis ad Desiderium ponit inter lumina Ecclesiæ Origenem, Iouinianum, Pelagium, hæreticos: numerat etiam Hilarium Pontificem, qui S. Leoni successit, qui diu post mortem S. Hieronymi clarere cœpit.

Epi-

Epistola de filio luxurioso, & frugi, Pelagiana est: & multum omnino discrepans à vera epistola sancti Hieronymi de eodem argumento.

Symbolum ad Damasum, quod incipit, Credimus in Deum Patrem, & clauditur illis verbis, se imperitum, & maleuolum, vel non Catholicum, non me hæreticum cōprobabit: non est Hieronymi ad Damasum, sed Pelagii ad Innocentium. Id ostendit S. Augustinus in lib. de gratia Christi, cap. 30. 31. 32. & 33. vbi dicit Pelagium misisse ad Innocentium Papam libellum fidei suæ: & ibidem refert verba eius libelli, quæ sunt illa ipsa, quæ in hoc Symbolo continentur.

Epistolæ sancti Augustini ad Cyrillum Hierosolymæ Episcopum de obitu sancti Hieronymi, sine dubio falsæ & suppositiæ sunt. Constat enim Cyrillum Hierosolymitanum Episcopum obiisse diu antequam sanctus Hieronymus moreretur: scribit enim sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. in Cyrillo, Cyrillum sæpius expulsum, & reuocatum, tandem octo annis pacifice sedisse. Adde quod epistolæ istæ, vt etiam epistola Eulebii ad Damasum de morte sancti Hieronymi nouitatem suam manifeste produnt. Nec solum nouitatem, sed etiam imperitiam, & imposturas: scribit enim fictitius Cyrillus ad Augustinum, hæresiarcham quendam Syluanum docuisse, duas in Christo esse voluntates: sed miraculis sancti Hieronymi hunc hæresiarcham fuisse confutatum. At hæresis monothelitarum ducentis annis post tempora Cyrilli, & Hieronymi exorta est: & non est hæresiarcha dicendus, qui duas voluntates in Christo confitetur, sed qui vnã tantum, vt ex Concilio sexto generali intelligi potest. Itaque auctor harum epistolarum confundit tempora, hæresim monothelitarum pro fide Catholica vendit, Cyrillum, Augustinum, & Hieronymum pro magna laude hæreticos monothelitas facit.

Tribuitur ad vltimum sancto Hieronymo liber de viris sanctorum Patrum: sed sciendum est, eum librum non esse vnus auctoris: nam in prima parte ponuntur vitæ Monachorum, quas scripsit Euagrius Ponticus de quo

H

scribit

scribit sanctus Hieronymus in epistola ad Cresiphontem, ex illis vitis solam primam esse veram, quæ est Ioannis Abbatis: eidem Euagrio tribuit vitas Patrum Gennadius in suo catalogo scriptorum. Viris illis ab Euagrio scriptis adiunctæ sunt vitæ Pauli primi Eremitæ, Hilarionis, & Malchi à sancto Hieronymo scriptæ: item vita sancti Antonii scripta ab Achanasio: item vita Mariæ Ægyptiacæ à Zozimo edita: item multa ex collationibus Cassiani: denique vita sancti Hieronymi parum fideliter conscripta.

De Theophilo Alexandrino. 390.

Theophilus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus sancti Hieronymi æqualis, vt epistolæ vtriusque inuicem scriptæ testantur, scripsit epistolas tres Paschales, quas sanctus Hieronymus latinas fecit. Atque epistolæ istæ satis vtilis, & doctæ extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 3. scripsit præterea aduersus Origenem, & alia quorum meminit. Gennadius in lib. de viris illustribus, sed hæc non extant. Ad initium epistolarum paschalium ponitur epistola quædam, sub nomine Sancti Hieronymi ad Theophilum quæ epistola supposititia esse videtur, nam inuehitur auctor epistolæ in sanctum Ioannem Chrysostomum, iam tum defunctum, tanta acerbitate, quanta non potest vlllo modo tribui sancto Hieronymo. Deinde saluatio initio epistolæ est omnino inusitata sancto Hieronymo. Denique stylus non est sancti Hieronymi.

De Ioanne Episcopo Hierosolymitano. 390.

Ioannes Episcopus Hierosolymitanus vixit tempore sancti Hieronymi, vt notum est ex contentionibus inter eos, non semel excitatis. Scripsit teste Gennadio, librum in obrectatores studii sui, ostendens se non esse Origenistam. Tribuitur eidem Ioanni liber ad Caprasium de institutione Monachi, qui habetur in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 9. edit. 2. sed hic liber videtur scriptus ab aliquo longe posteriore: siquidem in eo libro

aicit

dicit auctor se esse Ordinis Carmelitarum, & describit habitum Carmelitarum: at illis temporibus nomen Carmelitarum Religiosorum erat plane inauditum, vt etiam Card. Baronius affirmat, tomo 6. Annalium, ad annum 444. adde quod stylus est hominis Latini, & temporum posteriorum.

De Diadocho. 390.

Diadochus Episcopus Phorices scripsit insignem librum de Perfectione continens capita centum: hic liber extat in Bibliotheca, sanctorum Patrum tomo quinto. edit. 2.

De Ruffino Presbytero. 390.

Ruffinus presbyter Aquileiensis sancti Hieronymi quondam amicissimus, deinde æmulus factus, scripsit libros duos historie Ecclesiasticę, quos addidit ad historiam Eusebii Cæsariensis à se conuersam ex Græco: scripsit etiam explicationem Symboli Apostolici: item in Psalmos aliquot Commentaria, Inuectiuas duas in sanctum Hieronymum, & Apologiam pro Origene, in qua multa mentitur, ipso Hieronymo teste in secunda apologia: scripsit quoque multas epistolas. Hęc omnia extant, partim inter opera sancti Hieronymi, partim in historia Eusebii, partim etiam seorsim. Vertit quasdam sententias Sixti Philosophi Pythagorici, easque tribuit sancto Sixto Pontifici & Martyri, vt testatur Hieronymus in epistola ad Cresiphontem. Sanctus etiam Augustinus ex versione Ruffini deceptus, eas sententias esse putauit sancti Sixti Martyris: quod retractat lib. 2. retractat. cap. 46. Hęc sententię extant in tomo quinto Bibliothecę sanctorum Patrum, editionis secundę. Vertit præterea in Latinam linguam Recognitiones Clementis, vt Gennad. testatur in li. de viris illustribus. Sed sicut ipsę Recognitiones falso fortasse tribuuntur Clementi, ita etiam non est incredibile, falso adiunctam illis fuisse præfationem Ruffini, quasi interpretis: denique Ruffinus merito notatur erroris à Gelasio Papa, cap. sancta Romana, distinct. 15.

De Palladio Galata. 390.

Palladius Galata Ruffini æqualis, & amicus fuit, vt ex operibus eius intelligi potest. Scripsit historiam Lausiacam, & Paradisum Heraclidis, in quibus describuntur breuiter multorum sanctorum vitæ, quæ non modicam præstare possunt legentibus vtilitatem. Ipse tamen reprehenditur, vt Origenista, à sancto Hieronymo in epistola ad Cresiphontem, & à sancto Epiphanio in epistola ad Ioannem Hierosolymitanum, quæ extat in secundo tomo sancti Hieronymi. Extat etiam dialogus quidam sub nomine Palladii in tomo 1. operum sancti Ioannis Chrysostomi, editionis Pariensis.

De sancto Gaudentio Brixienti. 390.

Sanctus Gaudentius successor Philastrii in Episcopatu Brixie scripsit vtilissimos tractatus de variis argumentis, qui extant in tom. 2. Bibliothecæ sanctorum Patrum editionis 2.

De dedicatione Basilicæ, tractatus vnus.

De Pascha in Exodum, 7.

De lectione Euangelii, 2.

De Exodo iterum, 1.

De Paralytico, 1.

In illud, Nunc iudicium est Mundi, 1.

De promissione Paraclæti, 1.

De Macchabæis Martyribus, 1.

De Villico iniquitatis ad Germinium, 1.

In illud Pater maior me est. 1.

De Aurelio Prudentio. 390.

Aurelius Prudentius, Poeta Christianus, floruit sub Theodosio seniore, & filiis eius: scripsit egregia carmina, psicomachiam, de pugna Fidei, & Idololatriæ: Pudicitie, & libidinis, Patientie, & iræ: Superbie, & humilitatis: Luxurie, & sobrietatis: Auaritie, & largitatis: Concordie: & discordie.

Scripsit librum Catemerinon, id est, rerum diuinarum, in

rum, in quo continentur hymni à matutino ad Vespertinum.

Scrisit librum Peristephanon, id est, de coronis, in quo sunt laudes multorum martyrum sancti Laurentii, sancti Vincentii, sanctæ Eulaliæ, SS. Petri, & Pauli, sanctæ Agnetis, sancti Cypriani, sancti Cassiani, & aliorum.

Scrisit Apotheosim, id est, de diuinitate, vbi sunt hymni in infideles, in hæreticos Sabellianos, in Iudæos, item de natura animæ, & de resurrectione carnis.

Scrisit Amartingenia, id est, de origine peccatorum, contra Marcionem.

Scrisit libros duos contra Symmachum.

Addit Gennadius in libro de viris illustribus, scripta quoque fuisse ab eo, Enchiridion veteris & noui Testamenti, & de opere sex dierum. Hoc opus in Bibliotheca SS. Patrum tribuitur Ameno. Eius initium est, Eua columba fuit, &c.

De sancto Chromatio Episcopo Aquileiensi. 390.

SANCTUS Chromatius Episcopus sanctissimus, & doctissimus fuit, testimonio sancti Hieronymi præfatione in librum Paralip. Scripsisse fertur commentaria in Matthæum, sed nunc extant solum homiliæ de octo beatitudinibus in cap. quintum Matthæi, & tractatus in illud, Ego à te debeo baptizari. Vide in Bibliotheca sanctorum Patrum tom. 2.

Extat in quarto Tomo operum sancti Hieronymi epistola sub nomine Chromatii, & Heliodori ad Hieronymum & responsio Hieronymi, in quibus agitur de Natiuitate Beatissimæ Virginis; sed vtraque falsa, & supposititia est: vt etiam falsam esse conuincit Card. Baronius epistolam eorundem Chromatii & Heliodori ad Hieronymum circa Martyrologium. Vide præfationem Card. Baronii ad Martyrologium Romanum, cap.

5. & 7.

H 3

De 5.

De S. Ioanne Chrysostomo. 398.

SANCTUS Io. Chrysostomus, magnus Ecclesiæ Doctor
 Primum in foro versatus est magna cum laude: deinde
 Monasticam vitam exercuit, atque ab eremo ad clerum
 vocatus presbyter Antiochenus ordinatus est anno II. Va-
 lentiniani iunioris, & 8. Theodosii senioris: Anno dein-
 de 4. Archadii, & Honorii Episcopus Constantinopoli-
 tanus factus, tandem anno 11. eorundem Imperatorum,
 & Episcopatus sui nono mortem obiit circa annum Do-
 mini 407. Opera, quæ extant quinque tomis comprehen-
 duntur, in editione Veneta ann. Do. 1575. hac enim edi-
 tione vtebar dum scriberem

Primi Tomi.

In Genesim, homilia	67.
In Psalmos, homilia	46.
In varia loca testamenti veteris,	52.
Ex quibus quinque sunt de visione Isaia.	

Secundi Tomi.

In Matthæum, homil.	89.
In eundem operis imperfecti, hom.	54.
In varia loca Matthæi, homil.	26.
In Marcum, homil.	14.
In varia loca Lucae, hom.	7.

Tertii Tomi.

In Ioannem, homil.	87.
In varia loca Ioannis, hom.	16.
In Acta Apostolorum, hom.	15.
Conciones de sacris feriis,	32.
In varia loca Pauli, hom.	14.
In quibus sunt multæ de laudibus Pauli.	

Quarti Tomi.

Commentaria per homilias in omnes Epistolas B. Pauli.

Quinti Tomi.

Ad populum Antiochenum, homil.	80.
--------------------------------	-----

De Sa-

De Sacerdotio dialogi, siue libri,	6
De compunctiōe cordis, lib.	2
De prouidentia Dei, lib.	6
De orando Deo, lib.	2
De comparatione Regis & Monachi,	1
Contra vituperatores vitæ Monasticæ,	3
Contra gentiles, siue in Babylam mart.	1
De pœnitentia sermones,	12
Aduersus Iudæos, & hæreticos, serm.	15
Contra Concubinarios, serm.	2
Variorum argumentorum, ser. 48. Epistolæ,	8
Ad Innocentium Papam,	1
Ad Cyriacum,	1
Ad Episcopos, & Presbyteros ob pietatem in carcere in-	
clusos,	1
Ad Theodorum lapsum,	2
Ad Eutropium,	1
Ad Olympiam illustrem fœminam,	1
Liturgia, siue Missa S. Ioan. Chrysostomi.	

Observatio.

In primo Tomo ex homiliis in diuersa loca testamenti Veteris, est homil. in cap. 2. Genes. quæ incipit, Deus institutor Mundi: quæ homilia nō videtur posse esse Chrysostomi, cum in ea inserta sint duo integra capita ex libro latino de Ecclesiasticis dogmatibus, videlicet tricesimum primum, & tricesimum secundum. Liber autem iste habet auctorem Chrysostomo posteriorem, vt infra dicemus. Aliæ quoque nonnullæ sunt, quæ dubiæ fidei videri possunt. Sed homiliæ in Genesim, & in Psalmos, & de visione Isaia, & aliæ plurimæ indubitatae sunt.

In secundo tomo Commentaria in Marthæum sine dubio Chrysostomi sunt. Sed opus imperfectum non videtur esse Chrysostomi: non enim erat vlla ratio, cur bis de argumento eodem tam multa idem auctor scriberet. Sed cuiuscunque sit opus, aut ab hæretico aliquo compositum fuit, aut ab hæretico aliquo corruptum, quamuis alioqui liber sit doctus, & minime spernendus. Homil. 4.

dicat, Spiritum sanctum esse ministrum filii: & hom. 48. homusianos numerat inter hereticos: quę duę sententię Arianorum sunt. Contra tamen homil. 27. & 44. dicit hereticos esse, qui affirmant, filium esse minorem patre: quę superioribus dictis contraria sunt, proinde credibile est auctorem fuisse Catholicum, sed opus illius ab Arianis esse deprauatum.

In eodem tomo sunt Commentaria in Marcum, quę sine dubio Chrysoptomi non sunt, sed alicuius simplicis Monachi, qui fratribus suis Euangelium explicabat, vt constat ex homil. 3. 4. 8. 9. & ex aliis, quę in eodem tomo habentur, quędam sunt manifeste Chrysopt. vt homilia de proditione Iudę, item de diuite, & Lazaro. Homil. 4. & alia de Publicano, & Phariseo, & alia de Cruce, & Latrone. Reliqua videntur excerpta partim ex Comm. Chrysopt. in Matth. partim ex opere imperfecto, partim ex hom. in Marc.

In tertio tomo hom. 87. in Ioann. omnium consensu Chrysoptomi sunt. Idem omnino sentiendum existimo de homiliis 55. in Acta Apostolorum, quamuis ab Erasmo reuocentur in dubium. Certe homil. 9. auctor Episcopum se esse dicit, & homil. 11. addit Episcopum se esse Urbis amplissimę, & homil. 41. dicit, se vixisse tempore Iuliani apostatę & hom. 52. nomen suum dicit esse Ioannem: neque est aliquid alicuius momenti, vnde suspicio suppositi operis colligi possit. Adde quod Ioannes Damascenus lib. 3. de fide, & O Ecumenius in carena explanationis in Acta, testimonia petunt ex his homilis sub nomine S. Ioan. Chrysoptomi. De sex homiliis interpositis inter Commentaria in Ioannem, & in Acta, non est omnino certum, an sint Chrysoptomi, excepta tertia, quę incipit, Hirundinum pulli. Reliqua omnia creduntur esse Chrysoptomi, ac persertim homilia de laudibus Pauli.

In quarto tomo nihil est, quod iure reuocari possit in dubium.

In quinto tomo omnia fere sunt certa, & indubitata, exceptis homiliis ad populum Antiochenum, ex quibus viginti & vna tantum reperiri dicuntur manuscriptę in anti-

antiquis Bibliothecis, & aperte colligitur ex contextu ipsarum: per multas earum esse fragmenta homiliarum Chrysoptomi in Matthæum, vel in Ioannem, vel in Acta Apostolorum, vel in epistolas Pauli: vt exempli gratia, homilia ad populum Antiochenum vicesima septima decerpta est partim ex homil. 10. partim ex 11. partim ex 12. in Acta, & homil. 60. & 61. ad populum decerptæ sunt ex hom. 83. in Matthæum, & 4. in Ioan. Sed hoc non multum refert, cum sententiæ eiusdem auctoris sint.

De Seueriano Gabalens. 398.

Seuerianus Episcopus Gabalensis, vir eloquentissimus dicitur fuisse: & Gennadius in libro de viris illustribus scribit se legisse huius Seueriani expositionem in Epistolam ad Galatas, & alia quædam, addit etiam, illum sæpe inuitari solitum à S. Ioanne Chrysoptomo, & ab Archadio Imperatore ad sermones habendos in Ecclesia Constantinopolitana. Extat huius Seueriani sermo vnus, in quinto tomo operum S. Ioan Chrysoptomi. Huius Seueriani editæ sunt nuper in Anglia græce homil. 6. in Exameron cum operibus S. Ioan. Chrysoptomi, sunt etiam inter decem homilias à Card. Sirlero editas sub nomine sancti Ioan. Chrysoptomi: sed eas Seueriani esse constat ex Theodoretò, & Damasceno, qui eas citant.

Seculum quintum ab Anno
400. ad 500.

De sancto Augustino. 420.

Sanctus Augustinus Episcopus Hypponenfis florebat circa annũ Dom. 420. cuius anni ipse meminit in epistola ad Isichium, quæ est octogesima. Obiit autem anno ætatis suæ septuagesimo sexto, teste Possidio in eius vita, & à natali Dom. anno 433. vt Prosper restatur in chronico. Ac vt ex Catalogo librorum ipsius possit lector intelligere, quæ sint opera eius indubitata, adscribam locum